# DE
# IAIMONIDIS, MEDICI, QUI ECULO FLOREBAT XII SPECIMINE DIAETETICO.

## *DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA*

QUAM

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
AD SUMMOS
IN MEDICINA HONORES
RITE IMPETRANDOS
*DIE XI. M. MAII A. MDCCCXXII.*
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ELIES. LAZAR. SINAJ KIRSCHBAUM
SIENIAWO GALLIZIENSIS.

OPPONENTIBUS.

C. HOUSSELLE MED. DR.
S. SCHOENBERG MED. CAND.
R. MUEHLBERG MED. STUD.

FORMIS KRAUSIANIS.

Lane Medical Library

VIRO

SPECTABILI AC SUMME REVERENDO

# DAVIDI FRIEDLAENDER

A CIVITATIS BEROLINENSIS CONSILIIS

HACSE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

## Prooemium.

Historia medica nullorum ferè memor est Judaeorum de arte meritorum, qui medio aevo florebant, putans, eos nonnisi compilatores fuisse Arabum, Galeni asseclarum. Quod quam praepostere judicatum sit, doceat Maimonidis (de cujus vita et scriptis aliis medicis, philosophicis et theologicis vid. Wolff. Bibliothec. hebraic. suo loco) clarissimi Archiatri Saladini, regis Aegypti, specimen praeceptorum diaeteticorum, quibus nequaquam speculationes et subtilitates Galeni, sed observationes insunt hippocraticae, vires singulorum organorum totiusque corporis accurate perpendentes. Specimen illud, fragmentum operis theologici maximi, jam a Georgio Gentio, Amstelod. 1680, cum majori parte ejusdem operis, sed non optimo modo latine versum est, sub titulo: Canones ethici, minus idoneo, attrahendae ad se medicorum attentioni. Quare renovata hic ejusdem speciminis versio, omissis locis ad theolo-

giam spectantibus, et nominibus fructuum, quorum significationes dubias, Gentius temere transtulit. Hoc ultimum me ad disquisitionem perduceret philologico-botanicam, quae, etsi veritatem adipisci liceret (quod valde est dubitandum) tamen plus emolumenti non proferret, quam quod sciverimus, Maimonides quid de singulo cogitaverit medicamento, quod nos nequaquam quaerimus generalia tantum ejus praecepta respicientes. Notas autem quasdam, praecepta auctoris ad trutinam vocantes, addere ausus sum.

---

## *Maimonidis Aphorismi diaetetici.*

§ I. Nunquam nisi fame stimulatus comedat homo, nisi sitibundus bibat. Excrementa nec unum momentum retineat, sed cum opus fuerit, ut urinam mittat, vel aluum exoneret, statim locum petat idoneum.

§. II. Non comedat donec infarctus sit ventriculus, sed quartam partem saturitatis sibi demat. Aquam non bibat in pastu, nisi parum vino mistum. Cum vero alimentum in visceribus concoqui incipit, quantum opus est, bibat. Multum aquae tamen, quamvis in alimento concoquendo assumere vitet. Cibum non capiat, quin prius se examinaverit, fortenum excretionibus sibi opus sit. Necesse est etiam ante pastum eousque ambulare, ut corpus incalescere incipiat, aut labore vel alio exercitio se fatigare. Norma omnino haec est: Labore conficiat homo corpus suum, et se fatiget singulis diebus mane, usque dum incalescere incipiat, parumque quiescat, donec se reficiat, tunc cibum capiat. Sin postquam se fatigaverit, calidis laverit, hoc longe est optimum; dehinc vero parumper requiem det corpori, et comedat.

§. III. Post cibum suo semper loco sedeat,

aut in sinistrum latus inclinet; nec ambulando equitando vel alia execendi ratione se fatiget, nisi post alimenta concocta. Qui vero, postquam cibum ceperat, spatiatur, aut se fatigat, pessimos sibi atque gravissimos morbos adducit.

§. IV. Dies et nox viginti quatuor horarum constant spatio; sufficit homini, ut somno tertiam partem, quae octo horarum est, tribuat. Fiat autem noctis termino, ut, cum inter somni principium exortumque solis horae octo fuerint, ante solem exorientem, cubitu surgat.

§. V. Non in faciem devolutus aut pronus dormiat, sed in latere, noctis principio in sinistro, noctis termino in dextro. Neque statim post cibum cubitum eat, sed ad tres aut quatuor horas circiter exspectet. Neque interdiu dormiat.

§. VI. Intestina laxantia: Uvae, ficus, melones etc. cum alimentis non comiscenda, tantumque ante pastum comedenda sunt eo intervallo, ut jam e ventre superiori descensa sint, cum cibum capiat. Contra adspringentia mox ante pastum comedat, sed non magnam copiam.

§. VII. Si quis uno pastu avina et quadrupedum carne vesci velit, avinam praemittat; ova autem carni avinae, caro animalis tenelli carni vasti, uno verbo, faciliora concoctu difficilioribus praecedere debent.

§. VIII. Aestivo tempore cibos assumat refrigerantes, condimenta pauca, utaturque aceto; hyberno calidis vescatur cibis, condimenta largius adhibeat, parumque sinapis. Tali modo sibi consulat ratione loci, ut frigido et calido coelo, quae utrique apta sunt, in usum trahat.

§. IX. Ciborum nonnulli perniciosissimi sunt, debetque homo iis nunquam vesci, nominatim: Pisces grandes saliti inveterati, caseus salitus inveteratus, boleti et fungi, caro salsa inveterata, mustum atque quodis ferculum, quod diuturna mora odorem sibi propium amisit. Sic etiam quilibit cibus, aut male olens, aut valde amarus, corpori tamquam venenum est. — Nonnulli cibi sunt quidem noxii, sed non ita ac priores. Homini proinde consultum, ne de iis, nisi parum, multisque interjectis diebus, comedat. Nec se assuefaciat, ut alimenta sua quotidiana illis consistant, aut eos cum alimentis suis assidue assumat. Tales sunt: Pisces grandes, caseus, lac, quod postquam mulctum, viginti quatuor horas moratum fuerit, caro vastorum boum hircorumque grandium, legumina, panis hordaceus, panis azymus, brassica capitata, porrum, cepa, alium, sinapis et raphanus. Hi omnes perniciosi sunt cibi, quibus homo nonnisi parcissime, tantumque per hiemem frui debet, per aestatem vero, ab illis se abstinere. Legumina vero, nec hac, nec illa anni aetate comedat.

§. X. Praeter descriptos, et sequentes cibi damno sunt, sed minus quam illi. Sunt: Aves aquaticae, pulli columbini, dactyli, panis oleo tostus, aut oleo subactus, simila eosusque cribrata, ut odor furfuris prorsus sublatus sit, salsugo et muria. Hosce cibos frequenter assumere haud consultum est.

§. XI. Abstineat se homo ab arborum fructibus aridis, ne dicam viridibus. Antequam autem sufficienter matuerint, corpori ac si enses sunt. Fructus

etiam acidi insalubres, nec iis nisi parum, et locis calidis vescendum. Ficis contra, uvis atque amygdalis, semper salubribus, homo, quantum opus, vescatur; attamen cibum illorum, quamquam ex omnibus arborum fructibus sint saluberrimi, non continue comedat.

§. XII. Vinum et mel parvulis non conducunt, senibus vero optime, praecipue hieme. Aestivo tempore duas tantum partes ejus, quod hyberno comedere solet, assumat homo.

§. XIII. Navet homo perpetuo operam visceribus, uti quovis tempore laxa sint, pronusque ipse sit quodammodo alvi profusioni. Probatissimum enim est compendium in medicina: Pessimos semper morbos subsequi, cum excrementa, aut impediuntur, aut cum difficultate excernuntur. Quibus autem quaeso adstrictis mederi potest homo visceribus? Iuvenis singulis diebus mane bibat decoctum brassicae capitatae cum oleo olivarum, muria et sale. Senex vero mel aqua calida dilutum bibat mane, tum per quatuor circiter horas quiescat, cibumque capiat. Ita uno, tribus vel quatuor diebus, si necessitas flagitet, faciat.

§. XIV. Praeterea praeceptum aliud ad corporis valetudinem coservandam retulerunt medici: Nunquam hominem assidue operam subeuntem, seque fatigantem, ad satietatem non comedentem, ac intestina laxa habentem, morbum invasurum, verum vires ejus increseunt, licet cibis vescatur pravis.

§. XV. Qui vero otio perseverat, aut qui excrementa retinet, vel adstricta viscera habet, cibis etsi fruitur salubribus, vitamque degit secundum

normas medicas, semper aegrotus erit, viresque ejus collabentur. Cibus autem majori copia consumtus, corpori humano ceu toxicum est, unde omnes paene morbi originem trahunt. Plurimi enim morbi, qui hominem infestant, nonnisi vel ex ciborum pravitate, vel eorum multitudine, quo ventrem infarciunt, quamvis salubres ceterum sint, proveniunt.

§. XVI. Lavandi ratio est, ut homo singulis septem diebus, in balneum se conferat; non autem paullo post coenam, nec esuriens, sed alimentum postquam digeri incipit. Lavet totum corpus calidis, quibus non inurat, solum autem caput, calidis, quibus corpus inurat. Posthac corpus abluat tepidis, hinc minus et minus tepidis donec frigidis demum eluat, caput vero nec tepidis nec frigidis aquis perfundat, neque hieme frigidis se abluat. Nec se antequam sudaverit totumque corpus fricuerit lavet. In balneis ne diu moretur, sed cum sudaverit totumque corpus fricuerit, se inundet et exeat. Intraturus 1) vero balneum et eo egressus 2) examinet an sibi forte excretione opus sit; nec non id ante 3) et post 4) pastum perpetuo curet, antequam coëat 5) et post coitum 6) ante laborem et fatigationem 7) et postea 8) antequam dormiat 9) et postquam evigilaverit 10) in summa decies.

§. XVII. Lautus in exteriori aedificio vestes induat et caput obtegat, ne aura frigida ad eum aspiret, quod vel tempore aestivo observandum est. Ubi exiverit parum consideat, donec animus et corpus recreata, aestusque sublatus fuerit, postea ves-

catur. Si vero parumper postquam balneo egressus fuerit, antequam comedat, dormiat, hoc utique ei longe saluberrimum fuerit. Nec aquam frigidam, postquam exiverit, bibat, proinde multo minus in balneo. Si vero balneo egressus sitiverit, et sitim reprimere non potuerit, comisceat aquam vino vel melle, et bibat. Si vero tempore hyberno se in balneis, postquam se inundaverit, oleo inungat, hoc sane non insalubre erit.

§. XVIII. Ne insuescat homo saepe venam secare, nec nisi urgente necessitate coactus, nec hyberno, nec aestivo tempore, sed vere et auctumno, parum sanguinis mittat. Post annum vero quinquagesimum nequaquam venam incidet. Nec die venaesectionis balneum intret, vel iter faciat, nec itinere reversus, eodem die sanguinem effundet. Die phlebotomiae minus, quam alias insueverit, comedat atque bibat; requiescat etiam, nec motu intento, ambulatione vel labore se fatiget.

§. XIX. In spermate magnum est momentum roboris atque vitae corporis, et oculorum aciei; quo largius igitur effluit, eo magis corpus consumitur, vires evanescunt, vitaque perit. Quemlibet, concubitus libidini immersum, senectus mature adoritur, robur ejus decrescit, oculorum acies habetatur, ore atque ex axillis foedum efflat halitum, capillus, pili superciliorum et palpebrarum defluunt, ii autem axillarum et pudendorum augentur, dentes ejus excidunt, et praeterea varii eum dolores infestant. Dixerunt medici peritissimi: millesimum injuria morborum mori aliorum, sed mille ex multo crebroque

coitu. Proinde necesse est, ut homo hac in re se temperet, si sibi salutem cupiat, nec coeat, nisi sanum et alacre corpus deprehendat, multo erectionibus vexetur, quae semper manent, etsi ad rem aliam sese abstrahere conetur, gravitatem in lumbis deorsum versus sentiat, funiculi spermatici retrorsum versus trahantur, cutisque incalescat. Eo statu hominem coire oportet, et coitus ei medicamentum necessarium est. Non satur nec esuriens, sed digestis jam cibis coeat. De excretionibus, et ante et post coitum se examinet. Non stans, nec sedens, non in balneo, nec eo die, quo balneum intrat, vel venam secat, nec antea, nec postea, nec die, quo iter suscepturus est, nec quo ab itinere rediit, coëat.

§. XX. Cuique, rationem, quam diximus, vitae, ineunti, ego spondeo, eum nunquam in morbum prolapsurum, sed seram senectutem consecuturum, tunque mori, quin unquam medico ei opus fuerit. Corpus enim ejus erit integrum, et secunda valetudine semper fruens. Nisi constitutio ejus inde a generationis momento mala, aut ipse ab incunabilis mala consuetudine imbutus fuerit, aut morbi grassaventit pestiferi.

§. XXI. Omnia illa praecepta memorata, non consultum est observare nisi sanum. Laboranti autem, vel toto corpore, vel uno tantum membro, aut qui mala vivendi consuetudine per multos jam annos usus sit, huic aliae rationes et observationes pro morbo suo inserviunt, quemadmodum in libro de medicina explicabimus. Mutata enim consuetudo morbi principium est.

§. XXII. Locorum ubivis ubi medicus deficit, neque sano, neque morbo laboranti, ab hisce praeceptis, hoc capite explicatis, recedere consultum est, quandoquidem horum quodvis utilitatem suam demum affert.

---

## *Considerandae quaedam.*

Ex postremis auctoris verbis intelligimus, eum, quod tractavit, perfecte nonnisi sanis, vulgasse; voluisse autem contra, ut aegrotis atque invalidis etiam quoad diaetam, medicus consulat peritus, quovis tempore pro re nata. Dissentit igitur a Celso, qui: (libr. I. cap. I.) Sanum hominem nullis, ait, obligare se legibus debere. Sano vero, vires conservandae, non autem augendae sunt. Ideoque de cibis non loquitur, auctor, concentratis, neque rationem respicit, qua alendi eorum vis augeatur. Maimonides autem, angustiores sibi fines praescribens, quemlibet non medicum, ad illa nonnisi intentum redit, quae, iterum atque iterum perpetrata, cuivis homini nocent. Qua ex causa, et idiosyncrasiae et temperamenti, medici quoniam operam desiderant, memor non est. Id quod Cullen (in fine partis primae materiae medicae) ait:

„Quoad hominum maximam partem attinet, illa „nequaquam ita graviter laeditur ciborum effectibus. „Quod si modum excedat interdum ciborum copia, „saepe levis aut nullius momenti est. Sed magni „esset pretii hominibus, cum scirent, hujus generis

„peccata repetita, tempore, effectus posse sequi mag-„nos et periculosos."

Animi vero conatus hominum sanorum timere non videtur maimonides. Perillustrissimus J. Frank (in praeceptis praxeos medicae) de aëris gradu, loquitur, magne vitioso, et de domiciliis, situ et loco valde corruptis, in quibus autem homo vel valere potest, ad quod arguendum, polonos ex plebe nominat. Vestimenta etiam orientalia, quia ampla sunt, noxia nunquam evadere possunt. Hinc dictorum nullius meminit auctor.

Omissis igitur his omnibus, tractatus ab initio, normam exponit portentam: „utinam quivis, neque „edat, neque bibat, nisi fame sitique invitatus sit, „neu in egerendis excrementis unum quidem mo-„mentum tardi simus natura nos admonente. (§. 1.)"

Norma haec ultima ita exposita, majorem praecedente, prae se fert, gravitatem. Alvi enim dejectio neglecta, ventrem reddit supressum, colicam provocat, nec non congestiones ad caput, oculos et pectus. Urinae dejectione omissa, vesica reditur, debilitata, nimisque expansa, quo viscera illi proxima premit; nascuntur calculi, oriuntur sphincteris paralyses, inconitentia; spasmi denique sequuntur, una cum omnibus urinae impeditae gradibus. Auctor autem hoc non contentus, in §. §. sequentibus, imprimis in §. 13. docet, non esse morandum, donec natura a nobis tributum flagitet, sed ex ea quaerendum, quid, quovis tempore optet; enumeratque §. 16 decem momenta, quinque nimirum vitae status, ante et post quos id fieri debet. Sunt: Coena,

concubitus, labor, balneum et somnus. Medicorum recentiores, de hisce rebus non adeo soliciti sunt. Attamen utilis sane est methodus ad alvi suppressiones impediendas. Kaempf (in Enchiridio) etiam contra obstipationes consulit, quotidie mane alvi exonerationi indulgere, sit ea necessaria, nec ne. Id quod revera prospero gaudet effectu.

In §. 2. auctor, ventrem nimis non implere, nos monet, sed tres tantum partes ejus, quod ad completam saturitatem desideratur, comedere. At Celsus (l. c.): Modo plus justo, modo non amplius assumere, praecipit, et semper quam plurimum cibum capere, dummodo hunc concoquat. Optime est, ut ciborum quotidianorum, semper aequalis sit copia; ita vero, ut inde saturemur, impleamur neutiquam. Idque puto, Maimonidem dicere voluisse. Alias enim ventriculus tandem desuefit, ut vel necessaria nutrimenta concoquere nequeat.

Neu coenantes multum bibamus. Nostri aevi medicus, illud a priori contendere posset, potum respiciens, qui succum gastricum, ad concoctionem maxime necessarium, diluit. Antiqui vero experientia sane hac in re usi sunt magistra. Debilem nonnisi et pravis corruptum moribus urbanum coenantem sitire, non sanum et fortem rusticum, facile est perspicuum. Discrimen autem illud, non a diversa corporis constitutione proficistitur, immo diversitatis illius causa est. Agricola esuriens, urbanus ad vitam sustinendam edit, qui in coena ventriculum bibendo paccat, ne cibos suppervacuo

aspe

aspernaret, quod iterum atque iterum perpetratum, necessitas demum fit, causaque debilitatis organorum digestioni dicatorum et totius corporis.

Moveri ante cibum necesse est, solaque fames inde facta, indicat, totum corpus nutrimentis egere, nutricum exemplo sitientium, lacte mammis deficiente. Fames, quae hanc non agnoscit originem, in ventriculo nascitur, hinc morbosum magis est phaenomenon, quam indicium comedendi necessitatis. Motus autem corpus perturbat, ideoque cibi mox post eum non sumedi, qui id etiam perturbant, ut in utroque casu, arteriarum nobis persuadet ictus. Balnei vero effectus, impetui e corporis motu orto, plane est oppositus, uti Marcardus (in libro: Ueber die Natur und den Gebrauch der Bäder) satis demonstravit, cum pulsus postea placantur, et corpus ad somnum usque redigitur. Ad hunc autem effectum per totum corpus propagandum, mora opus est, nocetque edendo eum interrumpere. Maimonides non timet, ne cavatio calidis, quamquam quotidiana, fibram nimis laxam redderet, vel potius aquam calidam id non efficere, jure credit. Ego tamen, si res de regionibus agit septentrionalibus, illam ex alia non concederem causa. Aquam nempe puto calidam, cutem nimis reddere sensibilem, ita ut facillime afficiatur temperie, illis regionibus inconstante.

§. 3. Post cibum quies, inclinatioque in sinistrum latus, utiles sunt. Causam, ut memini, mihi indicavit, alius Judaei medici liber, ejusdem aevi quo noster florebat, acsi hepar, sanguine largiter repletum, stomachum

premendo, concoctionem adjuvaret. Apertum autem est, praeceptum hoc versui noto illi Scholae Salernitanae: Post coenam stabis, vel passus mille meabis directe oppositum esse. Quis rectius sentit? Jam ratiocinando exercitatio post cibum noxia declarari posset, utpote nervorum vim derivando, digestionem impedit, aut, quod majoris momenti est, quia motus non naturales auget, per cibos jam enatos. Id ultimum memoria teneri velim, in illo enim praecepta sequentia de concubitu, balneo et venaesectione innituntur, relate ad famem et iter perfactum, quae etiam corpus afficiunt, de quibus multum non dicam.

Sed videamus, experientia quid docet. Peritissimus rei medicae Cullenius (l. c. cap. 2. sect. 2. §. 1. Artic. 2.) ait:

„Si brutorum rationem sequeremur, quae a natura „ad ea tantum impelluntur, quae iis saluti sunt, som„num post cibum ad eum coquendum utilem habe„remus; an vero eodem modo homini saluber sit, „nondum patet. Animalia aeque ac homines, post „cibum ad dormiendum prona sunt, persuasumque „habeo, licere hominibus aetate provectioribus, post „coenam aliqauntulum dormire, sed hoc quidem ex „observationibus experientiaque certum evadit, coe„nam uberiorem paullo antequam dormitum imus, „plerumque damnum affere.“

Auctor vero noster §. in 5. somnum vetat post cibum utique, et re quidem vera, si perpendamus, homines digestione laesa laborantes, mane plurimum vexari, inficias ire non possumus, actionem cerebri

in digestionis munere magni esse ponderis. Animalia autem sic in diem nunquam dormiunt, ut non vitae defendendae causa, quodammodo vigilarent; hostemque perciperent, etsi lentissime appropinquantem. Eorum enim cerebrum nunquam ita enixe agit, ut tantam quietem aeque ae homo desiderent. Brutorum igitur indoles, ad quietem nos, non ad somnum, invitat.

In §. 4. et 5. agitur de somni tempore et diuturnitate, situque in illo corporis accomodato. Dorso cubando pollutiones oriuntur, cubitu in pectore respiratio impeditur. Sola igitur latera manent, initio somni latere utemur sinistro, ob nutrimenti residua adhuc in ventre nondum concocta; fine vero dextro, aequalitatis quasi obtinendae gratia. Inveniuntur in quibusdam cadaveribus sinus transversales durae matris uno latere distentiores quam in altero. Verisimillime hoc effectus est situs in unum idemque semper latus; nonne potest id causam rursus praebere quorundam morborum?

§. 6. et 7. ordinem assumendorum constituunt ciborum. Cibi laxantes, jam ante alios sumtos, remoti esse debent, ne hi una cum illis removerentur, antequam vasa lymphatica, materiam ex illis recepissent nutrientem. Acerbi contra fructus hoc munus adjuvant, frequenter vero assumti maxime sane nocent.

Cibi faciliores concoctu, difficilliores antecedere debent, qui si ventriculo molesti fierent, illi nihilominus in duodenum descensi, nutrimenta corpori praebent, vires sustinentia. Ova Maimonides inte

facillimos concoctu cibos numerat, sed idiosyncrasiam scimus, magnum respectu horum discrimen efficere.

§. 8. Cibi indicantur prout coelum et anni tempora eos desiderant, praeceptis sane justis. Usus aceti aestate antiquissimus est, meminit ejus jam libri Ruth auctor. (Cap. 2. v. 14.) Sic et nostro aevo Tissot (Avis au peuple chap. 1) illud comendat.

§. 9., 10., 11. Cibos continent variis in modis obnoxios. Hic multum refert animadvertere, medicorum priscorum quantam in tenuiora rerum principia fuisse curam. Cibus odore sibi proprio destitutus, in numerum refertur insaluberrimorum. Nostris autem temporibus, nonnullis vix persuaderi potest, debere in cibis alia adhuc quaequam respici, praeter principia, quae chemia nostra imperfecta detegit. — Legumina ab auctore rejiciuntur, magnus autem medicorum numerus aliter sentit. Celsus (libr. 2. cap. 10.) Omnia legumina, ait, generis valentissimi esse, quibus plurimum alimenti est. Cullen inquit:

„Leguminibus inesse tot sachari, quantum frumento, simulque majorem olei copiam, quo, priora „cur magis sunt nutrientia posteriori, satis intelligitur. Hoc quidem experientia in animalibus quotidiana confirmat; esse vero ea et hominibus magis „nutrimento, sequens haec observatio me docuit. „In quibusdam hujus regionis agris, qui legumina „uberius ferunt, familia iis cibo utitur, quae, cum „in alia venerit rura, ubi non tanta est leguminum „copia, ciboque ex farina concocto fruitur, mox per-

„cipit, vires suas minui, et plerumque novum cum „petat servitium, ut certus per hebdomadem modus „leguminum sibi detur, conditioni subjicit."

Notum dein est, Brownium fabas suo debili corpori utiles invenisse. In Talmudo (tractato Kala) farina leguminum cum vino contra tabem dorsalem comendatur. Gentius idem refert relate ad cetera emaciationum genera. Is multa praecepta e Talmudo collegit medica, quorum alia bona, alia vero inepta, immo perniciosa sunt. Cum autem, ubiloci reperiuntur non citaverat, cum lectoribus ea communicare nolui.

Inter cibos non salubres, auctor, panem quoque refert oleo tostam, vel oleo subactam, quarum indoles noxiae pulcherrime exposuit perillustr. Hufeland in therapia generali, ubi de methodo loquitur restaurante. Hunc autem librum, quemlibet legere medicum putans, ne verbum addam. — Farina satius multum cribrata, massam solidiorem et minus stomachum irritantem procreat, ideoque difficile fit concoctu.

§. 12. Duo continet praecepta. *a*) Mel vinumque infantibus obnoxia, senibus vero convenientia esse. De melle calefaciente etiam §. 13. et 17. loquitur, praecipue vero in capite 3 libr. Canones ethici, ubi §. 2. ita ait: Cujus corpus calidum est, neque carnem neque mel comedat, neque vinum bibat. Estne hoc revera mellis indoles? an potius hic semel vanam Galeni theoriam sequitur auctor, qua omnia medicamenta, aut calidae aut frigidae, aut siccae aut hu-

midae sunt naturae? an demum voce דבש significari vult, mustum ad consistentiam syrupi decoctum, sapam, defrutum, Arabib. دبس dictum? — *b*) aestate tertiam partem ciborum, quos hyberno comedere solet tempore, homo sibi demat. Nam quamquam ea anni aetate sudore multum materiae amittimus, plusque desideraremus, attamen organa debilitata tunc minus concoquere valent.

§. 13. 14. 15. Generalia sunt praecepta ad secundam valetndinem conservandam. Hic utinam ne auctor accusaretur, plus justo in gastricum respexisse systema. Aliud enim est dicere, morbos omnes e cruditatibus primarum viarum, earumque infarctibus enasci, atque hinc sedulo resolvendum et evacuandum esse. Haec methodus certe noxia est. Aliud autem est, alvi obstructiones timere debilitatemque chronicam corporis, unum paene fontem morborum omnium chronicorum, quos solos auctor hic intelligi vult, derivare a debilitatione ventriculi, infarciendo eum saepe cibis provocata. Hoc sane fundamento non caret, sicut et Brownianis concedre sum coactus, morbos omnes chronicos praeter contagiosos e corporis debilitate originem trahere. Id solum vere hi non sentierunt, quod putabant, posse cremato, vino, china et opio corpus roborari. Haec vero effectum demum relinquunt debilitantem, atque ego contenderim, roborantia plane non existere remedia. Ea enim, quibus haec virtus plerumque tribuitur, vires tantum, alia ad longius, alia ad brevius tempus excitare possunt. Omnino diuturnus usus

unius ejusdemque remedii, sit cujusvis virtutis, damno semper est, et sicut prorsus inepte esset, quotidie remedia mutare, ita et huic oppositus error vel perniciosus est. Quanti jam aegri, narcoticorum usu longe protracto, maturae dediti sunt morti! Moderatus autem usus, remediorum etsi evacuantium, roborare, et in morbis quoque chronicis emolumento esse potest. Cura igitur generalis morborum chronicorum in eo versatur, ut potentias, corpus adhuc debilitantes removeamus, remediaque vicissim morbi gradui atque organo ab eo detento adaptemus. Attamen debilitatem quidem chronicam praeprimis in adultis hominibus, perfecte numquam sanatam esse puto.

§. 16. 17. Praescripta ponunt lavandi. Hic autem de balneo loquitur Turcarum (vid. Marcard. l. c. cap. 11) quo sudor primum calore sicco, corporisque frictione elicitur, tum demum lavatur, quibus omnibus intelligendum est, Maimonides cur calidis lavare, et sensim sensimque frigidis uti, praeceperit. Dissentit autem in eo a recentioribus, quod caput calidis, quibus (ut ipsius uterer verbis) corpus inurat, lavari vult. Non videtur vero theoriam a lubitu noster docere. Rem non satis tentatam esse credo.

In §. 18. de venae sectione quaestio est, quoad diaetam nimirum, qua ex causa, post annum transactum quinquagesimum, non consulitur. Alia autem est ratio in morbis; beatus ille Peter Frank octogenario peripneuononia laboranti, nonies venam, cum prosperrimo effectu, secari curavit.

§. 19. Egregio in modo effectus enumerat e venere frequentiori enatos, nec non signa, quibu conspicuus fit concubitus corpori necessarius.

§. 20. 21. 22. Verba auctoris in dissertatione continent, ultima, digna illa, digna nostro. Utinam et nos ita finire possemus scripta nostra therapeu tica, cum eadem vero fiducia. Sic autem res se ha bent in nostra scientia, ubi implicari incipiunt, cu primo ultimus adhuc exclamabit medicus:

Ὁ Βιος βραχὺς, ἡ δε τέχνη μακρὴ, ὁ δε καιρος ὀξὺς,
ἡ δε πειρα σφαλερὴ, ἡ δε κρισις χαλεπή.

# VITAE CURRICULUM.

Ego Elieser Lazarus Sinaj Kirschbaum Mart. a. MDCCIIC oppido Sieniawae Galliziensi parentibus ibidem viventibus natus sum, ubi ad literarum studium ductus, a. MDCCCXV Leopolem petivi, ibique a. MDCCCXVII legibus patriae in altioribus litterarum studiis a Professoribus Gymnasii illustribus, Praefecto cel. Schlick, examinatus, civibus almae universitatis, Directore et Protomedico, ill. Neuhauser adscriptus sum. Quo ex tempore hasce virorum ill. praelectiones frequentavi: Ill. Zerdzinski Physiologiam, Pathologiam, Therapiam generalem et Materiam Medicam; ill. Berres Anatomiam, et ill. Wagner Chirurgiam. A. vero MDCCCXIIX Berolinum me contuli, ubi Rectore Magnifico ill. Weifs, Decanoque spectabili ill. Berends, numero civium academicorum adjunctus, his gavisus sum praeceptoribus. Audivi Botanicam apud ill. Link, chemiam apud ill. Hermbstaedt, Physicam apud ill. Ermann, Anatomiam et doctrinam de entozois apud ill. Rudolphi,

* *

eoque et ill. Knape ducibus cadaverum dissecandorum rationi operam navavi. Porro me docuerunt: Physiologiam ill. Koreff, Pathologiam Semiticam Therapiam generalem et specialum cel. F. Hufeland, Materiam Medicam et Celsi libros ill. Berends, Therapiam specialem perill. Hufeland, Chirurgiam cel. Rust, doctrinam de morbis syphiliticis ill. Horn eam de morbis infantum cel. Richter, et Mesmerismum theoretice et practice ill. Wolfart. Tandem clinicis rebus perafsidue operam dedi ducibus perill. Hufeland, ill. Berends et cel. Neumann.

## THESES DEFENDENDAE E DISSERTATIONE ELUCENT.

Post cibum motus et labor nocent.

Post cibum somnus nocet.

In pastu non est consultum bibere.

Roborantia non existunt remedia.

Morbi chronici asthenici semper sunt.

Debilitas chronica nunquam perfecte sanata est.

Diu continatus usus unius ejusdemque remedii peniciei est.